

AD MICHAELEM HISPANIAE ET SICILIAE ALTISSIMVM  
PRINCIPEM LVCAE MARINEI SICVL VATICINIVM.



Andida lux populis princeps insignis iberis:  
Maxima quo totus gaudia mundus agit:  
Fata quibus uideo te nunc successibus augent:  
Et titulos ornant quæ modo regna tuos.

ab ibero flum hyspanie in  
tarraconensi

Sed tamen his olim certe maiora tenebis  
Regna sub imperiis inclyte multa tuis.

Nam tibi (nec fallor) totus famulabitur orbis:  
Certa quidem coelo est syderibusq; fides.

Qui mouet illa tibi summo qui régna olympos  
Tradidit hispanum sicaniumq; solum.

Hoc auctore dabunt libycos tibi fata triumphos:  
Accedet titulis aphryca tota tuis:

Miles idumeus gens horrida signa timebit:  
Signa quibus christo tu duce bella geres:

Victa recognoscet dominū caluaria tellus:  
Quæ maduit ueri sanguine terra dei.

O quantis flebis lachrymis cum uideris alti  
Membra redemptoris quo iacuere loco.

Desidiam o quantum ueterū mirabere regum:  
Quos christi nunq; sollicitauit amor.

Seruinet inuicto michael tibi barbara memphis:  
Isidis et gens quæ numen inepta colit.

Cogeturq; ninos foelix & celsa damascus:  
Et diues leges gaza subire tuas.

Altaq; romanis babilon spoliabitur armis:  
Victus ubi insidiis crassus uterq; perit.

Ibis ad extremos populos orientis: & unde  
Magnus alexander uictus ab orbe redit.

Omnibus at libyes populis asiaq; subactis  
Nobilis europeos littora prima petes.

Ibis in italiā uictor dominusq; triumphans:  
Excipiet currus inclita roma tuos.

Hic pater antistes tantoruū iusta laborū  
Dona tibi lætus laurea serta dabit.

Hinc tamen occidas foelix remeabis in oras  
Hic ubi principium est/hic caput orbis erit.

In te tum princeps in spectis moribus omnes

cuntas in egypto condita ab egypto  
filo nunc in qua fuerit optimi mate  
matici illi usq; carri pmi fini muen  
tius cuntas magna anno fili beli co  
dicta de suo nomine sit appellata  
damase) cuntas misuria rectorie asie  
ad amasco dispesatore abrahō dicta  
= fuzia cuntas asirie dicta opili thesa  
urus regamibes p sas cōditi  
babilon cuntas caldeazz m piso  
tempa qua post diluviu m fructu  
gas condidit et assemram multiplic  
imro munera q; iūfusio nū p̄at

Gaudebunt gentes principis esse noui.  
Praelide te positis armis fera bella quiescent:  
Et nimium fœlix ocia mundus aget.  
Tunc erit(o quantum gaudebunt numina cœli)  
Interris princeps unus & una fides.  
Fœlices auiae nimium o nimiūq; beatæ/  
O nimiū fœlix alter & alter auus/  
O fœlix genitor/fœlixq; puerpera/fœlix  
O nimiū tanti principis omne genus:  
Quē modo nascentem uiuens sub nomine christi  
Gens amat:& contra barbara quæq; timet.  
Gaudete hispani populi, gaudete sicanæ  
Solute pro nostro principe sacra deo.  
Plaudite fœlices pueri teneræq; puellæ/  
Expectare quibus multa futura licet.  
Quæ faciet magno michael sub sidere natus  
Gaudia quo totus principe mundus aget.

CAD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM IOANNEM GVZ/  
MANVM METHYMNAE SYDONIAE DVCEM MAGNANI /  
MVM LVCAE MARINEI SICVLI EPISTOLA.



Vo magis tuæ maiorūq; tuorū laudes & egregia faci  
nora mihi notiora fiūt Illustrissime princeps: eo qui  
dē digniora multo uideri solent: quæ nō inuolui silē-  
tio nec hispanis comēdari sermonibus: sed latinis po-  
tius litteris (quib⁹ magnorū uiros summoq; principi-  
um uirtutes illustrari cōsueuerūt) extolli debeant.  
Quod ego pfecto libentius agerē: si me quātū singu-  
laris tua uirtus & excellentissimū tuæ generosissimæ  
familiæ nomē hortan̄: tantū mihi quoq; dicēdi copia suppeteret. Grandes  
enī res (ut diuīs hieronym⁹ ait) ingenia parua cōfundūt: quæ sī qñ quicquā  
supra uires suscipiunt in ipso statī conatu rei magnitudine uicta succubunt.  
Quod meo uix mediocri ingenio futurū prospicio dux magnanime: si forte  
tuas uel tuorū pgenitorū laudes q; nō modo grādes: sed ingētes quoq; sunt &  
imortales aggrediar. Nā cuius uel ingeniū uel eloquētia (ut tui generis altius  
initia repetā) Alfonsum illū abauū tuū guzmani noīs decus amplissimū satis  
digne laudare queat: fama cuius gestarū rex & gl̄ia multos quidē post ānos  
quāuis scriptorib⁹ careat: oīum tñ uelut recēs in ore uersat̄ insignis. Ille enī  
profectus in aphrycā maiorē gloriā: maiorē honorē sibi & posteris suis pepe-  
rit: q; romanī dux exercitus olim scipio: qui aphrycanus ab aphrys domitīs  
Cognomē accepit. Ille enī pp̄lī romanī noīe & exercitus fama uictoris ac mi-  
litū multitudine p̄enī absente hanibale uictis carthaginē deleuit. Hic autē  
solus hispanus inter plurima maurorū milia neminē quidē unq; inuenit: quē  
non in omni certam inis genere supauit: qui non modo singulos electosq; p̄ae-  
nos secum congregdi ausos: sed etiā plures solus ipse ac non solum uiros for-  
tes: sed feras etiā immanes qbus s̄aepē p̄ insidias obiectus est uicit: domuit:  
occidit. Quis etiā Henricū proauū excellentissimū cōmitē dignis laudibus  
extollat: q; oīum uirtutū splēdore p̄clar⁹ pro xp̄iana fide cōtra mauros s̄euil-  
simos nr̄æ religiōis hostes pficiscēs: ph dolor ap̄d calpē procella subito exor-  
ta maris undis obrutus periit: quas cū effugere potuisset: subiit tamē alioq; sa-  
luti cōsulere conatus: nauicula enī qua ipse uehebat̄ multis ad missis maiori  
cōpresa p̄dere fluctibus euicta succubuit. o ingentē uirtutē: o inauditā ducis  
humanitatē: q s̄euissimā maluit subire mortē q militibus īmersis solus euade-  
re. Cuius mortis recordatio atq; memoria p̄nceps excellētissime quis sine la-  
chrymis ī mentē uenire nequit nos tñ nō leticia minus q merore debet affice-  
re. Nā sī romanus populus eos fālices ac beatos putabat: q pro patria belli-  
gerantes cū morte uitā cōmutabāt quāto magis nos henricū proauū tuū ne-  
bulæ cōmitē fortissimū fāliciorē beatiorē existimare debem⁹: q & pro p̄ria

& pro rege: & multo libētius pro xp̄o merēs occubuit? Successit huic Ioānes  
auus tuus dux inuictissime summo quidē fulgore decoratus: quē fama singu  
laris & oīa uirtutū genera cōmendat: quē sua uel admirabilia opera collau/  
dant: quē cū maiorū suorū: tū uero suæ uirtutes & res animosissime gestæ ni  
mis illustrat. Quare dū eius nobilitatē summāq; munificetiā & cæteras animi  
uirtutes dotesq; naturæ cōtēplor dign⁹ mihi quidē uidet: ut eius memoria et  
nomen amplissimū iure laudetur ac celebretur ab omnib⁹. Cuius liberalitas  
(ut alias eius īumeras laudes omittā) titi quidē uespasiani liberalitatē certe  
si non excessit æquauit omnino. hac itaq; munificecia oīum & gratiā & amore  
pmeruit: hac guzmanoꝝ domui plurimū ueræ claritatis accessit: hac deniq;  
uel a cūctis hispaniæ totius populis & presertim ciuibus hispalis mirū in mo  
dū colebat. Quantū nāq; oībus charus fuerit facile quidē cū a uita discessit  
perspectū est. Nemo enī funus eius sine merore: nemo sine lachrymis profe/  
quut⁹ est. Quā ob rē & si iā diu discessit a uita: uiuit tamē: spq; uiuet. illius ei  
& nomē ingens & uirtus insignis extincta nō est. q̄ uelut īmortalis omniū an  
te ocl̄os uersaf sempq; uersabit. Occurrut præterea mihi & patris hērrici lau  
des quæ quo sunt recentiores: eo minus quidē filētio dignæ uideri debēt. hic  
enī cū multis rebus fortiter gestis: tū una quidē laude cunctos mortales lōge  
superauit. Quū ad Rodoricū ducem gaditanū a mauris obseßum Alhamā  
propriis pecuniis magno cōparato subſidio pfectus est. Qua in re & ingentē  
liberalitatē: & hūanitatē singularē: & pienissimū atq; sc̄tissimū animū erga  
fidē catholicā & xp̄ianæ cultū religionis oīdit. Conuocatis enī militibus ex  
bethica puincia fere tota publicis preconū uocib⁹ cūctis liberalissime stipen  
dia largissimeq; persoluit: & contra mauros xp̄ianæ fidei hostes īfestissimos  
Alhamā statī profectus Rodoricū gaditanū ducē sibi ex lōgo tpe īnimicum  
fortiter sancteq; defendit. O admirabile uirtutem: o facinus diuinis laudib⁹  
extollēdū. Nā si cūcta qdē ueterū monumēta reuolueris: nihil oīno reperies  
quod possis huic laudi uel glīæ cōparare: quæ uel sola cūctas oīum mortali  
um laudes & res fortissime gestas lōge superasse ab oībus creditur. q̄ quidem  
res me prorsus facit ambiguū: cui potissimū granatensis uictoriæ gloria de/  
beatur. Accedis tu magnanime p̄nceps tātis digna p̄genitorib⁹ soboles nul  
la ex parte eorū laudibus īferior. Qua re(ut superius oīdi) si quantū me tua  
uirtus hortat tantas mihi uires eloquentia prestaret: & si nō quib⁹ dignus es  
te tñ quibus possem dux insignis laudib⁹ prosequerer. Sed cū ingenii mei ui  
res nō ignorē: & animi tui excellētiā cōsiderē: de ea prorsus tacere melius du  
xi: quā pauca dicere. Quis enī tanta dicendi copia p̄ditus est & doctrina: qui  
nō uirtutis tuæ splendore suparet? Nouī nāq; quantū moribus integrissimis  
quantū uirtæ sanctimonia: quantū religiōis xp̄ianæ noīe & opibus cæterisq;  
uirtutibus polleas. Quod tū aliis in rebus semp: tū uero post patris tui obitū  
multo clarius cognosci potuit. Tūc enī q̄ iustus: q̄ pius: q̄ deniq; sanctus es

ostendisti. Statim nāq; & oībus domesticis qui & in tuo & in patris fuerāt fa-  
mulatu liberali magnoq; animo satisfecisti. Tum quoq; & tibi atq; his qui a/  
pud te uicturi erant optimos mores & uiuendi ordinem composuisti sanctis/  
simum . Cum itaq; tot tantisq; uirtutibus cultus uidearis indies te profecto  
magna & egregia facinora facturum omnes existimant. Cū igitur ita uiuas:  
ita te geras nemo hercle dubitat te multo maiora relicturū posteris ea uirtu/  
tis exempla: quæ non parua ab antecessoribus tuis accepisti. Tuæ enim lau/  
dis futuræ iam diu magna quidē signa dedisti: tū aliis temporibus: tum ue/  
ro maxime: cum in aphrycam classem & magnū armatorum numerum con/  
tra mauros xpiani nominis hostes amore nostræ religionis accensus traicere  
iussisti. qui tuo dicto libenter audientes cum per angustum mare traiecerint  
captā Melillā uallo confestim fossaq; muniuerūt. & ab irruentib⁹ undiq; mau/  
ris & acriter oppugnatib⁹ strenuissime defendere. Quod uersiculis quibusdā  
uirtutis tuæ nouitate cōmotus delibauit clarissime princeps. Quos si genero/  
sissimo tuo animo satisfecisse perspexero maiori quidem cura atq; diligentia  
de inceps tuas & maiorum tuorum laudes aggrediar . Nam & si uel doctri/  
næ uel ingenio diffido plurimū magnanime princeps: me tamen singularis  
tua uirtutis & me⁹ in te non mediocris amor et obseruātia: cogūtu ut tuas res  
magnifice gestas sermone uel in culto potius referā: q; prorsus in tactas relin/  
quam: me enim cū alia tua facta: tū uero q; nuper egisti uehementer hortan/  
tur: quis enim munificetiā qua uel antea sæpe: uel etiā qua ferdinando rege  
et helisabe regina hispalī ex granata uenientibus usus es nō summis efferat  
laudibus: quos ingredientes non dicam quanto fulgore quanta tuorū equi  
tū multitudine comitatus fueris: tacebo etiā quo de inde apparatu quib⁹ uel  
regalibus epulis non solū regem ipsum & utramq; reginā id est nostrā & par/  
thenopeā: sed cardinalē quoq; aliosq; proceres cōplures excepisti: quos post  
lautissima & pluriū dierum cōuiuia nō nisi maximis preciosissimisq; donatos  
munerib⁹ dimisi. Transibo in sup silentio animi tui fortitudinē: quā cōtra  
mauros in langeronæ oppugnatione non paruā quidē ostendisti. cuius expu/  
gnatio cū & obstinatiōe roboreq; hostiū & asperrima loci natura difficilima  
ac diuturna uidereſ: tu tamen animo in uicto ad omnia pericula & hostiles  
impetus omnium primus occuristi. cui⁹ presentia et christianis additus & ma/  
uris ademptus est animus . Accedit tantis uirtutib⁹ una dux excellētissime:  
qua quidem potes inter omnes hispaniæ proceres non immerito gloriari: so/  
lus enim tu princeps liberales disciplinas & ingenuas artes colis: & earum stu/  
diosos foues. Accipe igitur illustrissime princeps parua sicolii munuscula: q;  
& si cū amplissima tua dignitate atq; excellētia cōparanda nō sunt: tibi tamē  
gratissima fore non dubito cū ab animo tibi deditissimo missa cognoscas ua/  
le hispaniæ gloria & decus amplissimū ac sicolū tuum esse semperq; futurum  
sine dubio credas.

¶ Ad eundē excellentissimū principē eiusdē sicuti carmen.

Rogenies excelsa ducū: ueterisq; propago

Nominis: & nebulæ sydoniæq; domus.

O decus eximium guzmanæ gētis & aulæ:

Inter & hesperios gloria prima duces.

Quem nō imerito uenerat bethica tellus:

& præter reliquos hispalis alta colit.

Cum te delectent musæ: dulcesq; camœnæ:

Cum te militiæ fortia facta iuuent:

Hec lege uirtutū princeps monumenta tuarum

Carmina: uel laudi congrua signa tuæ.

Sed prius hanc nobis ueniam concede precamur:

Scribimus alternis si tua gesta modis.

Nam quāuis ueteres legimus celebrasse poetas

Grandia: uel parua facta notasse lyra:

Talibus ista tamen minime scribenda camœnis

Res erat: andina sed memoranda tuba.

Parce igitur numeris mea si quibus usa fuerunt

Incipiunt humilē plectra mouere lyram.

Romanus libyas marius quū uenit in oras:

Et numidas animo uicit & arte feros;

Captiuum uidit regem quū roma iugurthā: *regem mīmōrē*

Maurorūq; equitum milia capta decem.

Scipio pœnorū forti quū marte cœgit

Perfida romanum colla subire iugum:

Substulit excelsas uictæ carthaginis arces

Et duro æquauit moenia magna solo:

Impiger hannibalem dirum belloq; superbū

Compulit auctorem funeris esse sui.

Aut cum sicanis pugnax marcellus in oris

Maurorum lætho milia multa dedit:

Cæsa siracusios implerunt corpora campos:

Atq; arethusa suas sanguine tinxit aquas: *fons ha ha*

Vel quum massyllum populos: regemq; ferocem

Fregerunt magni cæsarî arma iubam: *rege africæ*

Vtica cognomen uicto tumulūq; catoni

Traddidit: atq; sibi quum dedit ille necem.

Nunquā fracta metu tantum fuit aphryca: quantū

Auditō nuper nomine fracta tuo est.

Nam tua spumosum iacta est quū clasis in æquor:

Tempestas pelagi est maxima facta quies.  
Neptuni timuere minæ: timuere procellæ:  
Et placidum thetis prebuit ipsa fretum.  
Aeolus emissos uentos lateq; uagantes  
Ad sua te metuens antra redire iubet:  
Clausit & in tenebris alios: aquilone soluto:  
Lictus adoptatum quo tua classis eat.  
Mox ubi delatæ maurorū ad lictora naues  
Bellandi cupidos exposuere uiros.  
Subscedit tellus pedibus calcata tuorū:  
Et maris insolitum proluuit unda nemus.  
Hesperio nutans contrarius abila calpe  
Horruit: a sumis intremuitq; iugis.  
Nec minus obstupuit sublimi uertice celsus  
In gemuitq; nouo pondere pressus athlas.  
Precipitem coeli timuerūt sydera lapsum:  
Pronus in australi nam fuit axe polus.  
Ultima finito uenerunt sæcula mundo  
Clamabant mauri: iudiciumq; dei.  
Hinc conspecta procul tua quū uexilla fuerunt:  
Visaq; sunt captis signa tremenda locis:  
Quū turres micuere tuæ: micuere leones:  
Et proauis fulsit parta thyara tuis:  
Annexi & patulis angues cernuntur ahænis:  
Et monumenta tuæ cætera signa domus.  
Tum simul ac nebulam simul ac tua nomina tollunt  
Vocibus: & curuæ concinuere tubæ:  
Protinus ingenti mauri formidine pressi  
Intrepidum exanimis procubuere solum.  
Sanguinem ubi tandem cor ad sua membra remisit:  
Languida surgentes terga dedere fugæ.  
Mox tamen aphrorū ueniens exercitus ingens  
Et collecta manus prælia dura gerunt.  
Diffugiunt fessi bello: uictiq; recedunt:  
Militibusq; fuit tuta melilla tuis.  
Hinc equites redeunt uictoria signa ferentes:  
Ad te uictores hinc rediere duces.  
Prospera captiuis plenas prædaq; reducunt  
Vela rates: lænis quas uiuat aura noti:  
Læta melilla tuis remanens & tecta sub armis

Te uocat assidue: teq; uidere cupit.

Immanēq; truces tyrii posuerre furorem:

Qui tua ne redeant classis & arma timent.

Quid tua fœdifragis modo si presentia pœnis

Visa foret: quāto quisq; timore cadat?

Victa tibi magnū certe daret aþrica nomen:

Iret & in titulos tota subacta tuos.

Vade igitur tantū quis non modo poscat honorem?

Quem sibi de libycis scipio uictor habet?

Quis quoq; non mereat xpo? pro cuius amore

Fit leuis & sancta relligione labor.

Vt tamen agnoscant post te tua facta nepotes

Et monumēta sui clara sequant' aui:

Ducito me tecū: musæ tua castra frequentent:

Quæ tua perpetuo carmine gesta notent.

At tibi si reliquos uates qui prestet habendus:

Quærito flaminium qui tua gesta canat.

Hic uolet & poterit lætos celebrare triumphos:

Et non exiguis inclyta facta sonis.

Vincit mœonidem: superat sua musa maronem:

Cæcropides uates prestat & ausonios.

Tu modo iam partū noli differre triumphum:

Ne tibi tam magnus præripiatur honor:

Quis te per nudos dubitat garamantas iturum?

Te uirtute tua teq; iuuante deo?

Principibus gratū facies dux inclyte nostris:

His tua nam uirtus: & bene nota fides.

Quæ modo dux fœlix mitto tibi carmina : noster

Inte non paruuus scribere iussit amor.

Causa q; hæsperiæ noui comitesq; ducesq;

Inter quos nullum par tibi numē habes.

Noster enim quantū reges supereminet omnes:

Tu reliquos tantū uincis & ipse duces.

Adde q; excellens hispanis solus in oris

Ille tenet regis nomen: & ipse ducis.

Finis.

Lucas marineus siculus Prestantissimæ tuæ  
dñinatiōis sacras manus hūiliter osculatur.

**O**peri quod de laudibus hispaniæ scripseram Reuerēdissime pa-  
ter quedā subnectere cogitaui: quæ olim mihi res hispanas sum  
matim scribenti sub silentio præterita fuere: nō tamen ulla uel  
negligentia uel obliuione: sed q̄ hispanarum rerū & uirorū illu-  
striū numerū qui pene erat infinitus cōprehendere nō potui. Nā quū hispa-  
niæ laudes Rodorici beneuēti comitis hortatu scribere sum aggressus: tū ad  
modū nuper ex sicilia in hispaniā veneram: singulisq; diebus in salmanticæ  
acadæmia celebriq; gymnasio poeticā & oratoriā facultatem publice cōduct⁹  
pfitebar: quib⁹ lectiōibus aliisq; curis nobis impeditis ad multa quæ op̄i cō-  
ficiendo necessaria erant inquirendū temporis spaciū non dabat. Cæterum  
postea q̄ relicto salmāticæ studio Ferdinandū regē & Helisabē reginā n̄os  
xpiānissimos principes sequut⁹sum: apud eos: tum alia per multa: tum uero  
quosdam hispaniæ uiros cognoui: qui uel bellicis in reb⁹ uel liberalib⁹ disci-  
plinis ac sanctissimis morib⁹ & xpiānæ religionis cærimoniis ad eo clare san-  
cteq; se gerūt: ut eoꝝ fama & egregia facinora nō silētio quidem: sed & uatū  
& oratoꝝ præconiis potius digna uideant: & q̄ me iure profecto (si uellent)  
accusare possent: ipseq; me oīno reū esse cōfiterer: si eos penitus intactos relī-  
querem. Hos igit̄ sapientissime præsul suis laudib⁹ prosequi cōstitui. Atqui  
cogitāti mihi quem primū memorare inciperē. tu præsul insignis ante alios  
oīs occurris cæteris oībus merito preferendus: cuius uitæ sc̄timonia morūq;  
prestantia doctrina singularis & diuini cultus feruentissimus amor cæteræq;  
uirtutes īnumeræ dignæ quidem sunt: quæ latinis approbatæ litteris apud  
omnes in dies notiores fiant. Tuas itaq; in primis laudes reuerendissime pa-  
ter aggrediar: quibus centū uersiculos apponam: quos nunc breui cum epi-  
stola tibi prius uiro doctissimo castigandos misi: uale hispaniæ & xpiānæ re-  
ligionis decus insigne.

CAD REVERENDISSIMVM ARCHIEPISCOPVM FR ANCI  
SCVM XIMENIVM TOLETANAЕ SEDIS ANTISTITEM PRE  
STANTISSIMVM MORIBVS ET VITA INTEGRERIMVM ET  
VIRTUTVM OMNIVM ET CHRISTIANAE RELIGIONIS EI  
DEIQ VE CATHOLICAE CVLTOREN MAXIMVM LVCAE  
MARINEI SICVLI CARMEN.



Lorja pontificum salue cygneia proles

Summa toletano spesq; salusq; choro.

Qui leuibus nunq; pennis confisus in altum/

Sed uirtute micans ingenioq; uolas.

Te nimis optatum præsul uenerande saluto,

Indignusq; manus oscular ipse tuas.

Sed concede moræ ueniam pater optime nræ:

Vel quia tu clemens: uel quia dona fero:

Non tamen argenti ferimus tibi dona nec aurí:

Carmina uirtutis sed noua signa tuæ.

Hec pater antistes sicut modo munera pauper

Quæ tibi magnanimo mittere possit habet.

Parua quidem(fateor) sed tu maiora putabis

Hec opibus cresci: diuiciisq; midæ.

Poscit enim testes de se tua uita camœnas:

Et tu digna gerens carmine:carmen amas.

Ergo tuarum iam latus preconia laudum

Accipe tranquillo pectore nostra precor.

Maxima uirtutum præsul monumenta tuarum

Læticiam multis inuidiamq; mouent.

Nam te quisquis amat te quisquis tollit in altum

Quod uirtute tua uincitur ille dolet.

Tanta tua est probitas tanta est prestancia uitæ:

Vt tibi iam nemo se putet esse parem.

Quis uenerabilior quis te sapientior uno?

Te modo uel toto sanctior orbe quis est?

Nam quis te melius prestat sua iura tonanti?

Quis magis in nostra relligione pius?

Tu uita ingenio doctrina moribus omnes

Qui modo sunt prestas quiq; fuere uiros.

Nam uariæ mentes hominum nam cæca feruntur

Pectora:& his multū mens aliena tua est.

In domiti multis uesana cupedia census

Imperat:& uiles perdominantur opes.

Tu contentus eo possis quo ducece uitam

Pauperibus donas quod superesse uides?

Ampla nimis quosdā & nitidis suffulta colūnis

Et ueterum titulis aurea tecta iuuant:

In quibus aspiciunt rerum monumenta suarum:

Quæ tamen ignari morte carere putant.

Tu pater hic paruos mauis habitare penates:

Possis ut excelsi regna tenere poli.

Murice pontifices tyrioq; colore refulgent:

Tu ueneto illustras teq; tu m<sup>q</sup> domū.

Fictilibus cænas: aliis discumbitur auro:

Quis nisi cum gemmis pocula nulla placent:

Lauta uel in multam ducunt coniuia noctē:

Vtilior tamen est sed tua cæna breuis:

In mediumq; diem lecto somnoq; morantur:

Te lux in sacro munere prima tenet.

Vt quoq; principibus placeas pater inclyte nostris

Vix tua nocturnus lumina somnus habet.

Temerito hac igitur rex & regina thyara

Ornauere: tibi cultus uiterq; prius.

Qui tua dicta probant: quis enī non prebeat aures

Carmina cum niueus dulcia cantat olor:

Ocia delectant alios epulæq; uenusq;

Te labor assiduus: te iesuana fides.

Multorumq; tenet uentosa superbia pectus:

Qui miseris gaudent omnibus esse metu.

Te nihil in terris grauius: nihil est te lænius ipso

Mitior antistes nemo nec esse potest.

Contempnunt plures inopes spernuntq; cadentes:

Humanumq; premunt despiciuntq; genus.

Tu miseros clemens & paupertate coactus

Respicis: & rebus consilioq; iuuas.

Pluribus assidue quoniam pia dona ministras:

Sacra nec oblitus soluere iusta deo.

Sunt quibus assistit furtim qui sabbata seruat:

Et putidum digito qui sibi purgat anum.

Tu non infidæ recipis commertia gentis/

Sed proceres claros christicolasq; foues.

Si pontifices uellent deducere uitam

Moribus/exemplis/ordinibusq; tuis:

Aut si forte meis(quia iustis) inclyta uotis

Pontificem talem det tibi roma deus.  
Quanta bonis essent/doctis q̄ certa laborum.  
Premia: quæ miseris munera pauperibus:  
Qualia uel totus sentiret gaudia mundus:  
Quam christi cultus q̄ foret aucta fides:  
Nam tunc ipsa ualent tunc & precepta probantur:  
Quum populis pastor quod iubet ipse facit.  
Quam decet esse aliis tali sub præfule uitam/  
Qui populum sancto uiuere more docet:  
Nos tibi quo talis sedes toletana precamur  
Contingat pastor: uiuat & iste diu.  
Sed iam carminibus faciam pater optime finē:  
Nam tecum ratio me monet esse breuem:  
Mentis inops quoniam sensus & pauper habetur  
Plurima qui docto dicere uerba potest.  
Plura quid ergo feram: sanus non esse uidebor  
Scribere si cunctis quod patet ipse uelim.  
Hec igitur numero legit⁹ sex carmina tantum.  
A siculo quæ sunt uera notata tuo.  
Quicquid agunt alii certe delebitur omne:  
Sed tua non poterunt gesta probanda mori.  
Nam cum discedes senio confectus & annis  
Corpus humo cupiens reddere: facta deo:  
Tunc populis tumulo tua conspicietur imago:  
Clara: sed elysiis clarior umbra locis.

Tant  
VI